



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Nobili Viro Henrico Palatino Rheni.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

servare contempnit quod ei sub iuramentum religionis promissit, sed contra eum cum nobili viro Philippo Duce Sueviæ conjuravit. Unde cum ad nos pertineat iudicium iuramenti, per nos sibi de eo iustitiam petiit exhiberi. Cum igitur salutem nobilis ejusdem, de quo in novissimo districti examinis die tenebimur coram Deo reddere rationem, paterno desideremus affectu, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus eum ex parte nostra monere diligentius & inducere procuretis ut iuramentum eidem Regi præstitum, non obstante iuramento quod postmodum exhibuit contra illud, cum ex eo quod primum fuit licitum constet secundum illicitum extitisse, de cetero servare procuret. Alioquin eum ad id per excommunicationem personæ & interdictum terræ sublato appellationis obstaculo compellatis, facturi utramque sententiam singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, usque ad satisfactionem congruam firmiter observari.

**NOBILI VIRO HENRICO PALATINO**  
*Rheni.*

*Epist. 121.*

**A**d infamiam nominis tui cedit & perpetuum tuæ posteritatis opprobrium quod carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum fratrem tuum, vel nulla vel modica violentia interveniente, relinquens, nobili viro Duci Sueviæ adhæristi & quantum in te fuerat dejecisti eum quem erigere tenebaris. Sanè suam ad nos idem Rex querimoniam destinavit quòd cum fidelitatis ei &c. ut supra usque paterno desideremus affectu, nobilitatem tuam monemus & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus iuramentum eidem Regi præstitum &c. usque servare procuret. Alioquin noveris nos venerabilibus fratribus nostris Siffido Maguntino Archiepiscopo & Episcopo Paderburnensi per apostolica scripta præcipiendo mandasse ut te ad id per excommunicationem personæ &c. usque in finem.

*Scriptum est nobili viro Duci Brabantia in eundem modum usque in Romanorum Imperatorem electum, cui filiam propriam desponsaverat in uxorem, vel nulla &c. usque in finem. Executores dati sunt contra eum Leodiensis Episcopus, major Decanus & Præpositus sancti Gereonis Colonienfis.*

**NOBILI VIRO LANGRAVIO**  
*Turingia.*

*Epist. 122.*

**Q**uia liberæ voluntatis arbitrium quanto violentius quis flectere nititur, tanto amplius in puritate sui propositi confirmatur, non credimus quòd violentia Ducis Sueviæ tuam mutaverit voluntatem & animum variaverit, licet coactus fueris militare. Cum ergo necessitate cessante cessare soleat necessitatis effectus, monemus nobilitatem tuam & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus cum tempus acceperis, ad carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi fidelitatis obsequium sine dilatione qualibet rever-

taris, & sic in ejus dilectione proficias ut in gratiam nostram proficere merearis.

*Scriptum est in eundem modum Regi Boemorum illustri.*

**MAIORI DECANO ET SANCTORUM**  
*Apostolorum & sancti Gereonis Præpositis*  
*Colonienfis.*

**A**d nostram noveritis audientiam pervenisse quòd Bruno Adolphi quondam Colonienfis Archiepiscopi clericus, statuti sedis apostolicæ temerariè se opponens, dominum suum irreverenter induxit ut in carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum crimen prodicionis committeret & Duci Sueviæ pertinaciter adhereret; à quo, sicut dicitur, tamquam alius Iudas in prodicionis præmium pecuniam accipere non expavit. Ne igitur si post damnationem ejusdem Archiepiscopi prædictus Bruno, qui damnationis causam præstitit, remanserit indemnat, illud evangelicum fallere videatur, quo dicitur, *si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt*, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus eum omnibus beneficiis suis sine spe restitutionis appellatione remota privetis, ea personis idoneis conferentes. Quòd si non omnes &c.

**E I S D E M.**

**A**d nostram audientiam noveritis pervenisse quòd Sibod clericus, qui beneficium quoddam de manu carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi receperat, & fidelitatis ei præstiterat iuramentum, conversus in arcum perversum, contra proprium veniens iuramentum, Sueviæ Duci juravit, & ab eo prædictum beneficium recepit. Ipse quoque, dum venerabilis frater noster Cameracensis Episcopus mandatis nostris infisteret exequendis, ab eodem Duce in diocesim ejus legatione suscepta, bona ejusdem Episcopi temerè occupavit, vassallos ejus Duci Sueviæ fidelitatem præstare compellens, fidelitate ipsius penitus abjurata. Quia verò tantæ præsumptionis excessum relinquere nolumus impunitum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super iis & cognita plenius veritate, eundem Sibod ab omni officio sublato appellationis obstaculo deponatis, & omnibus eum beneficiis spoliatis, illa personis idoneis assignatis.

**PADEBURNENSI EPISCOPO.**

**Q**uam detestabile sit crimen perjurij, veteris testamenti lectio manifestat. Nam cum præcepisset Dominus Israëlitis ut universos habitatores terræ quam eis promiserat, de ipsa delerent propter fœdus quod Iosue cum Gabaonitis inivit circumventus, & iuramentum quod principes multitudinis præstiterant eisdem incautè, Gabaonitæ mortis periculum evitarent, licet interrogati si in terra quæ filiis Israël forte debebatur forsitan habitarent, quia de terra longinqua venerant respondissent. Præterea quæ pœna mendacibus debeatur Ananix & Saphiræ mors subita proficetur, qui quo-

BBbbb ij

*Epist. 123.*

*Epist. 124.*

*Epist. 125.*